



**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangeliō depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resurrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 11. De Christi agonia in horto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](#)

DE PASSIONE DOM. 97

Domino obiurgabuntur.

7. Cùm oramus, exemplo Christi admodum nos deprimere debemus, agnoscentes indignitatem nostram. *Oratio enim humiliantis se nubes penetrabit.* Eccles. 35..

M E D I T A T I O
V N D E C I M A.

D E C H R I S T I I N H O R T O
agonia.

E V A N G E L I V M.

T apparuit Angelus de cælo confortans *Luc. 22.* eum, & factus in agonia prolixius orabat: Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrens in terram:

F I G U R A E.

JACOB Patriarcha, veniente illi obuiam

98 MEDITATIONES

obuiam fratre Esau, trepidus confu-
git ad orandum Deum: qui misit An-
gelum, à quo confirmatus est, cùm di-
ceret: Si contra Deum fortis fuisti,
quanto magis contra hominem prava-
lebis.

PROPHETIAE,

Psal. 21.

SIC VET aqua effusus sum, & dispersa
sunt omnia ossa mea: factum est cor
meum tanquam cera liquefons; in me-
dio ventris mei, aruit tanquam testa vir-
tus mea.

Zach. 1.

Vidi per noctem, & ecce vir ascendens
super equum rufum, & ipse stabat inter
mirta, quae erant in profundo.

CONSIDERATIONES.

1. Punctū.

CONSIDER A, quomodo Deus
tuus, qui solus possidet beatitudi-
nem, & suarum consolationum copia
Angelis lætitiam adferit, & omnes af-
flictos animos mœrore leuat, cùm af-
sumisset sibi infirmitatem carnis tuæ,
& dolores atq; acerbitates iniquitatum
tuarum sic planè solum hominem ostendat,
ut quasi oblitus etiam se Deum esse
non recusat excitari & confirmari à crea-
tura

DE PASSIONE DOM. 99

tura sua. O Angeli Dei, tune illum confirms, qui verus & vnicus est tuus consolator? non stupes, cum aspicis illum infrā te iacentem in terra, quem supra vos in cælo collocatum omnes cum tremore adoratis & colitis? Quām verè de *Psal. 8.*
te dixit, Domine, Propheta: quod minor sanctus sis Angelis, quando ab Angelo confortari non dignatus es! Bonne I E S V, quātum te demisisti pro me, in quam profundum locum descendisti! Verè languores nostros tulisti, & do- *Isaias. 53.*
lores nostros ipse portasti. Ut enim lan-
guori nostro medereris, tantum pauci-
ris assumisti, vt etiam sanguinē sudares: vt dolores tolleres, tantum tibi cru-
ciatum imposuisti, vt mortem oppete-
res.

Considera anima mea angorem Re-
demtoris tui. Eo enim momento, cum
sibi ob oculos poneret, crudelissima que
tenebrimo corpori parabātur supplicia:
simul omnia scelera & flagitia detestā-
da mortalium omnium: de quibus tan-
to aciore stimulabatur dolore, quanto
maior erat in ipso caritas & zelus hono-
ris paterni: deinde cùm praeuideret tot
ingratos animos fidei, qui non agnosce-
rent, nedum ad suum fructum accipe-
rent tam grande beneficium, & medi-
cinam

100 MEDITATIONES

medicinam tanti precij: deniq; cùm nefarium & impium crimen p̄aeuideret & securam dispersionem populi, quam grauiter Deus in illū erat animaduersurus, sancta illa anima tantis d̄isten-
ta est doloribus, vt perturbatis sensib. & vitibus sanctissimi corporis eneuatis, te
nra caro ex omni parte deduceretur, &
sanguini erum penit vias aperiret, qua copiosius in terram deflueret.

Dulcissime I E S V, quis fuit ille dolor tam acer, quod onus tam graue, quis tam crudelis morbus, vt tibi pro sudore exprimat sanguinem? Certè immensus amor tuus, & misericordia mei tantum tibi dolorem inflxit, graue peccatorum meorum onus fuit, terribile illud torcular, quò instar vuæ innocentissima card tua pressa, preciosum & salutarem illum liquorem effudit, noster denique morbus lethifer te ad tam amaram medicinam adegit.

Compatere anima mea dulci tuo l^s v. Vide vt pronus humi iaceat, quod iam pedes illum non sustineant, à capite ad pedes usq; sanguinem stillans. Non est, qui illi opem ferat; non est qui diuinissimam faciem altergat, qui uestem mutet, aut qui in hac extrema necessitate minimum illi solatij adferat. Tu sal-

tem

DE PASSIONE DOM 101

tem quia pro te illum ad hos angores
venisse intelligis, si cum ipso sanguinem
non potes, lacrymas compassionis spar-
ge, quod si tanta est cordis tui duritia, ta-
ta oculorum siccitas, ut lacrymas dare
non possint, lacrymarc tamen desiderio,
& pro lacrymis Saluatori offer hunc ip-
sum sudorem sanguineum.

COLLOQUIVM.

ROOG A Christum Dominum, per il-
lam summam tristitiam, quam in
horto assum sit, per sanguinem quem
sudauit, per illas ardentes preces, & su-
per omnia per infinitum amorem illū,
quo ad hæc omnia impulsus est, ut lar-
giatur tibi donum orationis, ut in omni
bus rebus dubijs & aduersis, ad ipsum
confugias, & extremo vitæ tuæ tempo-
re, cum terror mortis occupabit animū
tuum, det tibi vires, & certam in ipso fi-
duciam, atque ut tum dignetur mittere
Angelum suum, qui te ab inimicorum
vi defensum, ad portum salutis tutò per-
ducat.

DOCUMENTA.

DISC A MVS exemplo Christi,
voluntatem nostram exuere, &
cam

102 MEDITATIONES
DOCUMENTA.

1. DISCAMVS exemplo Christi,
voluntatem nostram exuere, &
eam penitus transferre in voluntatem
Dei. Discamus & sensu cupiditates vin-
cere easq; spiritui subiucere. Discamus in
spiritualibus necessitatibus refugere ad
optimum Patrem nostrum. Discamus de-
nique in oratione constantes esse, ut cum
Christo digni habeamur consolatione &
confirmatione cælesti.

2. Quanta molis fuit nostræ redem-
ptionis opus, quod potuit sanguinem illi
exprimere, qui celum & terram sustinet:
at nos quā parui illud facimus, quibus
pro salute, sape molestum est vel pedem de
terra mouere.

3. Si cruciatus huius vita tanti sunt,
ut illorum cogitatione Christo sudor crue-
tus effuxerit: quo nos sudore sanguineo
perfuderemur, si ex animo cogitarem⁹ de
ijs cruciamētis, quæ vel apud inferos, vel
in Purgatorio parata sunt? quorum longè
maior est acerbitas, quā omnium mun-
di cruciatuum.

4. Tantus debet esse noster in precibus
ardor, ut flagranti desiderio pro Christi
amore patiendi, & confirmandi nos acer-
ba illius passioni, cum ipso etiam sudemus
sanguinem.

5. Si Christus fortitudo Patris, & agnus innocentissimus, de sua felicitate securus tamen imminentis mortis cogitatione, in tantas animi angustias & agoniam incidit: quos angores, quas agonias, nos in illo momento quo n. riemur sustinebimus, cum sentiemus nos tam infirmos spiritu, tam plenos peccatis, & salutis incertos? Agamus ergo precibus quam ardentissimis cum Domino, ut in terribili illo transitu ab ipso adiumentum & solatium accipiamus, quemadmodum ipse accepit à Patre.

6. Christo oranti apparuit Angelus confortans eum. Sic orantibus cum sensu pietatis & ardore, adsunt Angeli: & quam non semper quod petunt impre-
trant, quia forte non expedit,
tamen Angelica con-
solatione non
carent.

ME -